



1496

Kern 1488 (1-4)



5

LITERÆ AD SA-  
CRAM CÆSAREAM  
MAJESTATEM A CORPORE  
EVANGELICO EXARATÆ.  
*SERENISSIME, POTENTIS-  
SIME, ATQVE INVICTISSIME*  
CÆSAR,  
IMPERATOR SEM-  
PER AUGUSTE,

---

**Q**uantopere depressus ille afflictissi-  
musque rerum status, in quo tum in  
Imperio Romano-Germanico, tum  
in hereditariis S. Cæs. Maj. V. terris  
constituti deprehenduntur, qui Evangelicæ  
fese Confessioni addictos profitentur, jam e-  
tiam pridem sensus ipsos animosque Potentis-  
simorum Europæ Regum, nec non fœderati  
Belgii Ordinum, qui eadem sacra sequuntur,  
perstrinxerit pariter atque tot acerbissimorum  
casuum eventu intime contristarit, vel inde  
manifestum est, quod, iidem pietate & misera-  
tione ducti, alongo jam tempore mitiora quæ-  
que consilia solícite circum spexerint quibus  
& radix tam late serpentis mali, quod hinc  
nasciturum videbatur, tolli, & in faustæ offen-  
sionis

A



sionis Iapis, ad quem mutua illa profusque  
 necessaria voluntatum & studiorum consen-  
 sio toties ab utriusque religionis partibus allis-  
 sa est, eo semoveri successu denique posset,  
 quo minus de hinc æterni Imperii & Archi Du-  
 calis Domus Austriacæ hostes extricis illis dis-  
 sidiisque, quæ isthinc prognerata subinde fu-  
 erant, asperrimis perpetuisque sua sibi com-  
 moda ulterius comparare, nedum id consequi  
 valerent, ut, quod unice dederunt, hactenus  
 operam postremo non iis duntaxat, qui maxi-  
 mè fuere afflictæ, quam & cœteris, qui affixêre  
 jam suis, quod dicitur, jumentis perniciem  
 adducerent, certissimumq; exitium deter-  
 minarent. Equidem consuetum hucusque  
 visum haud fuit, Cæsaream Maj. Vestram uno  
 velut Regum communiq; Dominorum Statu-  
 um, quos cum submissa honoris præfatione  
 nominavimus, nostrorum ore animoque eâ  
 de causâ compellare, dum spe subinde am-  
 pliore subnixa, nullatenus utiqve dubitave-  
 rimus, quin Cæsarea Maj. Vestra pro divinâ,  
 quâ inter mortales excellit clementiâ, propi-  
 tias tandem aures præbitura sit tot votis &  
 desiderijs, precibus atqve obtestationibus  
 flagrantissimis, consociatis intercessionum  
 studiis, nec minore juxtâ pietate & reveren-  
 tiâ quibus convenit, factis expositis, crebro-  
 que repetitis: Atqve ideò magis quoque  
 futurum existimavimus, quò luculentius de-  
 inceps non tantum universo humano generi,

sed



fed imprimis compendio orbis, Imperio Romano-Germanico, hæreditariisqve Cæsarex Maj. Vestræ Regnis ac Provinciis, hoc etiam tam illustri experimento planum fieret atqve testatum, nullum unquam Principem excelso Imperio præditum extitisse, qui vel majori ad Justitiam & clementiam amore, vel aliis quibuscunqve virtutibus summis & maximis, quales à supremo harum conditore in Rectoribus Terrarum conferri solent, exsplenduisse, pariqve cultu & gratia easdem exercuisse visus sit? atqve consignatæ hæc in animis hominum notiones ejus etiam fiduciæ fructum, quem nemo non spe votoqve jam præceperat, pleno sine dubio iis, quorum intererat, usum indulgissent, nisi sinisteriore tunc fato, ex eorum numero, qui alioquin Principum aures, oculiqve & oracula dici consueverunt, & cum quorum ministerio, ubiqve locorum præsentem, illi etiam summi & omnia Gubernantis Numinis immensitatem & omnipræsentiam in terris referre creduntur, aliunde intervenissent, ac cæco quodam impetu, zelové abrepti, luciveritatis fulgentissimæ velum tenebrosum obduxissent, eoqve obfuscare eandem deteriorem in modum fatigissent. Quapropter Augustissime Cæsar ac Domine nobis omnibus ac singulis, qui Regum Europæ Evangelicam Religionem profitentium & fœderati Belgii Ablegati hîc sumus, & eo munere



fungimur, id negotii datum, gravisimâs  
 verbis injunctum est, ut excelsò Throno  
 Cæsareæ Maj. Vestræ obtutu venerabundo  
 admoti ea, quæ par est, subjectione devotis-  
 simâ, Eorum nomine exponeremus, quod,  
 quemadmodum commemoratæ Sux Maj.  
 Regiæ partim vades & compaciscentes pa-  
 cis fuerint VVestphalicæ, ita easdem pariter  
 ac Præpotentes Belgii status Generales fir-  
 missima spe ac fiduciâ teneantur fore, ut o-  
 mninò Cæsareæ V. M. laudatum illud instru-  
 mentum pacis velut Palladium quoddam  
 quo convulso, simul Patriæ salus convella-  
 tur necesse est, respiciat, nec vel ullo istud  
 modo actuumq; contravenientium injuriâ  
 lacesfi, multoq; minus infringi vel labefa-  
 ctari sinat. Quin potius apparet, juxta,  
 præsumtam hanc ipsam de Cæsareâ M. V.  
 æqvissimæ mentis optimam voluntatem, quâ  
 Deus velit esse perpetuam, validissimum vi-  
 deri fundamentum, cui sincerâ illâ & inte-  
 gerrimâ fide culta amicitia, fœderaq; bono  
 publico promovendo cum Ipsa subinde ini-  
 ta, sint undiquaq; superstructa: Quid? quod  
 & Clementissimi Reges & Domini nostri se  
 planè habeant persuasos, id convenire inter  
 Cæsaream Maj. V. & ipsos conspirantibus  
 pridem sententiis, solam nimirum illam pa-  
 cis pactiõnem VVestphal. esse, quæ proba-  
 ri cæterarum pacificationum subsequituram  
 omnium haberi retineriq; debeat, atq; sic di-  
 gne



gne & ex merito suo æstimari ; sanè in Neomagenſi pro tali, & quod magis pro regula ipſa cujuſcunq; paciſicationis, & ſtabilimento tranquillitatis publicæ clariffimis agnoſcitur verbis. Quare dolendum vehementer eſt, tantam ab ea ſeceſſionem per infeſtam clauſulam, quæ articulo quarto P. Rysvic ſub nexa eſt, & de religionis negotio agit, factam eſſe, ut quemadmodum iſta tunc ipſis Cæſarez Maj. V. Legatis inauſpicata & importunâ novitate ſuâ ſœcunda litium materia viſa, & cujuſ uno vitio tot bona alia deformata aliquando apparitura ſint ; Sic iidem deſugere ejusdem auctõritatem ac contractæ inde culpæ invidiaq; dedecus à ſe amoliri atq; declinare maluerint, quam quod ex conſenſu eventurum ominabantur, hujus præſentis ac futuræ ætatis opprobriis ſeſe onerare. Etenim neque Gallicani, quod nemo non novit, alio eam ſine condiderunt, atqve velut quoddam Eridis pomum in medium projecerunt, niſi ut hoc pacto prorfus ſubdolo, diſcordiam membris capite collifo compages utrinq; ſoluta peſſumiret, & poſt multa denique ingruentia rerum diſcrimina ſubverſa concideret. Sicut autem facilius eſt apta diſſolvere, quam diſſipata connectere, ita ex plurimorum voto deliberatum ab eo jam tempore fuit, quo poſſiſſimum modo imminente huic periculo à diſſonis ſermone & corde gentibus oblato excitatoq; & ex quo velut à radice ſua inſini-



ta propullulatura mala forent, mature posset occurri resisti que. Sed in ipso multiplicis consultationis æstu prevaluit ultimo ratio servandæ clausulæ, eo obtento argumento, futurum aliàs esse, ut, sicubi vel maxime etiam ista consideratâ nempe morali sui impossibilitate, ne dicamus turpitudine, quâ inquinata est, expungatur, Gallus, qui prætextuum subinde, fingendorum ac inveniendorum mirus ac famosissimus architectus sit, arrepta inde occasione nova imperio negotia licentius faceßere, & publicam turbare rem pergat. Enimverò postquam belli flamma undique jam succensa exarsit, metus utiq; ille evanescit, & Gallia quæ una ejus & præcipua causa extitit, jure, quod pace sibi Rysvicensi acquisitum deputat, excidit, simulq; eo se frustrata ipsa est, ut taceamus, novissimam pacis pactiõnem nequaquam Monasteriensi, ex quo illa à semi seculo inde pro lege Imperii fundamentali, quam appellant, habita est, derogare posse aut præjudicare. Constat præterea, & undiquaq; in recenti hominum memoria omnium versetur, quotquot civilium notitiã actorum sunt imbuti, quo violento impulsâ, & svasionum studio illa sæpius dicta clausula quasi quædam Herculi clava sit extorta, & tametsi jure ex gentium consensu orto in pactis publicis metus, qui etiam inconstantem cadit, consensum non semper excludat, quia nunquam pax aliqua censetur facta, in qua non vel ex una, vel ex altera belligerantium parte, vel ex utraq; etiam simul, metus adfuerit, urseritq; itamen illud non de metu injusto, qui causam promisso dedit, & quem jus gentium improbat, intelligi debet, qualis est, qui turpitudinem involvit & pactum honestati haud consentaneum producet. Atqui verò nihil minus licitum fasq; est, quam spondere, ac conventionem certâ eâq; turpi, addicere illud, quod S. Sancta & in se profusum indissolubilia vincula, quibus cum & Patriæ communis & capitis ejus atque membrorum structura in universum pulcherrimè invicem colligata cernitur dissecare ac perrumpere potis sit. Jus gentium ad talem metum suam vim non porrigit & præbet, sed verius est, esse rem constitutam intra jus naturale. Quod si ergò Gallia ex funesta



funesta illa Clausula jus nullum capere quæsitum potest, ad minus certè status imperii poterunt Catholici, quorum tantum interest, quantum Evangelicorum, ut Pax Monasteriensis, qua utriq; Religioni de sua cavetur securitate, liberæque exercitii usu, eò usq; integra conservetur & illibata, quousque imperium Romanò - Germanicum ex Decreto DEI, hætenus abscondito nec sensibus obvio, duraturum in orbe est.

Quapropter quod submissimâ devotissimi cultus veneratione facere par est, uno jam animo ( posteaquam singularim id efficere nobis non licuit ) ac eodem concordiq; verborum tenore majorem in modum à Cæsarea Maj. V. petimus, rogamus ac contendimus, dignetur deniq; ipsa ap: Status Catholicos Augustam suam interponere auctoritatem, atque efficacissimo identidem studio pertendere, ut prodicti Status rem tanti momenti, imisq; repositum sensibus, pari, id est, severa æstimatione expendant, sicq; eadem ratione operave vaserrimæ illæ artes, quibus tot simultatum ac diffidentia semina hinc inde sunt inspersa, ornatu suo ad scitio nudata prostituantur, detestabiliq; odio exterminentur. Quod si verò præter spem ac expectationem omnem impetrari nequeat, ut status Catholici & Evangelici tali animorum consensione & voluntatum conspiratione coalescant, quâ nempe & communibus consiliis & unitis virum facultatibus nixi suffultiqve impendentibus nunc ac minitantibus periculis superandis sufficere, iisq; singulis lætabundo ac forti spíritu obviam ire possunt, reliquum est, idque necessarium quoq; ut Cæs. M. V. ad tranquillandos Evangelicorum metus animosq; re & sententiis Clementissimis quantocyus declaret, neque se posthac unquam, neque posteros etiam suos in Imperio successores vel in æternum permissuros esse, ut in ejusmodi Tractatibus Pacis, qui futuri sunt deinceps aut sequentur, quicquam inseratur, addaturve quod cum Monasteriensibus pugnaturum aut contrariam in partem constitutum videatur, neque adeò Cæsaream Majestatem Vestr. vel interim vel deinde comprobaturam aut admisuram [.] quodcumque quod iis sit adversum, actum &



transactum, vel stipulatum & contractum quocumque modo visum dictumque fuerit, aut videri etiamnum dicque possit, debeatve atque ideo Eandem Eodem nomine ac Titulo pro nullo nihiloque omnia illa declarare ac pronunciare, quæcumque hujus Generis sint, ac ejusdem vel naturæ vel qualitatis censeantur, & tam constanti quidem Id ac tenaci proposito, ut quæ, Pace VVestph conclusa & statui anni 1624. conformia sunt, Cæsarea Majest. V. incorruptè observata velit, nec porro quod præcipuum est, unquam patiatur concedatve horum in præjudicium Clausulam istam art. quarto P. Rysvicensis adjectam obverti, vel quidquam ejus allegari posse aut debere.

Quinimò, quæ hucusque contra statum anni 1624. in rebus ad religionem pertinentibus innovata fuerant, potius jam rescindantur, quod dum fiat, peculiari interim constitutione cum Cæs. M. V. consensu inter Status imperii promulgata cavendum, idque sub pœna fractæ Pacis publicæ, ne quidquam posthac in rebus de religione immutetur, donec delatis hactenus gravaminibus eo modo atque ratione, quæ sigillatim Instrumento Pacis est definita, medela sit justè & ex ordine undique pariter facta. Atque ejusmodi declarationem literis consignatam à Cæs. Maj. Vest. anxio desiderio & humillimâ mente expectamus, quam deinceps identidem Reges etiam Nostri ac Domini Clementissimi tum in Comitibus Ratisbonensibus, quantum ad corpus Evangelicum attinet, tum in reliquis Principum, quos vocant protestantium, Germaniæ Aulis, tam rite exponi & deprædicari curabunt, ut Cæs. Maj. V. amplissimum ejusdem usum fructusque uberissimos etiam atque etiam re ipsâ sentire & cum voluptate regere queat. Catholicorum declarationem ejusdem vel similis fortè contentus ac tenoris post modum eo facilius expectare licebit: Et committimus interea nos curæ Cæsareæ Maj. V. quâ fas esset, devotione sanctissima gravamina Ratis bonæ eidem jam nuper submissa, quæ sicut typis publicè exscripta & ex veritate cum circumstantiis suis probè sunt exposita, ita eadem pietate, quâ intaminatum DEI cultum prosequimur, religiosè nunc obtestamur, velit

Cæs.



Cæs. Majest. V. sententiam super istis suam, uti sæpius & ante biennium ferè in solenni tractatu Borussia Regi illud promisit clementissimè Nobis impertire & Gratiam tantò Cæsare dignant iisdem commodare. De tantum non oppressa ferè religione nostra in Silesiæ Ducatibus quæ civium ibi ac municipum & subditorum Cæsareæ Majest. V. omni fidè, candore & obsequiis addictissimorum quærinonix & plenæ lamentorum voces sint, ex appposito sub Lit. A. patescit, in quo post exposita gravamina à Nobis hinc & inde ac de die in diem congesta, desideria eorundem ardentissima & supplicia omnium vota maxima, longa feris contenta exhibentur. Nihil autem prorsus in iis reperitur, quod Paci Pragensi & S. Silesiæ autem Principes, nec non seqq. S. Instr. P. VV. in quo singulariter Religioni prospectum est, quin imò & ipsis declarationibus Cæsareis, quæ iteratis postmodum vicibus prodierunt, non in universum conformes sit & adæqvatum? Verum enim verò jam unice tantum & omni, ceu apparet, contentione agitur, ut commemoratæ sc. LL. & declarationes non secundum mentem recipientium, sed solummodo secundum mentem proferentium explicentur, vix advertentibus, qui sic statuunt, hoc ipso propriæ securitatis munimenta convelli, & ansam aded præberi, ut pax, quæ olim tanto iis impendio constitit, perimatur undiq; & obscuratur. Ne dicamus, quod, quoad S. Silesiæ autem Principes, Ferdinandus III. in literis ad Electorem Saxonix die 7. May. 1634. datis declaraverit, mentem suam haud esse, ac si S. ille restringendus vel aliter interpretandus sit; quam cum pacificatione ipse Pragensi conveniat. Et sine inane est effugium, si quod sit, ab aliquibus opponatur, summam S. Silesiæ autem Principes id indigitare duntaxat, quod ex gratia nempe Cæsareæ & Regiæ concessum erat, atque ita non diutius valere eundem, quam ipsa gratia Cæs. & Regiæ duret. At verò manifestum est, quod quicquid Cæs. Maj. Vest. Vasallis suis ac subditis ex gratia concessit, vel etiam num concedit, id intuitu compaciscentium pro irrevocabili pacto sine dubio habendum esse. Cæs. Majest. V. tot



tantisq; curis ac negotiis gravissimis undiq; involuta,  
 & quasi circumsepta est, ut propterea somnino jam ma-  
 lumus, non minus à percensendis, ac etiam confutandis  
 istis technis & sophismatibus, in quibus quidem effin-  
 gendis illud hominum genus sibi mirifice placet, hic  
 abstinere prorsus, nisi Clementissimi Reges ac etiam  
 Domini nostri, quorum, quod diximus, aliqui vades &  
 compaciscentes P. IV: fuere, Christiano amore impuls-  
 si quodam nexu crederent obstrictos, ut fructus pariter illi-  
 us ad eos qui ejusdem secum fidei consortes sunt, ipso  
 perinde usu pervenire facerent atq; traduci, validissime  
 persuasi insuper Cæs. Majest. V. pro perspecto sinceris-  
 simo eorum animi affectu officiorumq; assiduitate, quã  
 ipsi constanter eandem prosequuntur, facile hanc iis gra-  
 tiam vicissim impertituram, ut pro solitã clementia sua  
 patiatur, per Nos, illorum Ablegatos, talia Cæsareæ M.  
 V. intercedendo proponi ac commendari, quæ quocunq;  
 modo ad resovendam animorum tranquillitatem, hinc  
 majorem conscientiarum libertatem anxie admodum cre-  
 brisq; hactenus intercisam gemitibus anhelantium, inde  
 novas earundem oppresiones, inter tot & tanta formidinum  
 prodigia, magis magisq; extimescentium, quicquam con-  
 ferre posse videntur. Nec verò quisquam est, qui pro-  
 pterea Cæs. Maj. V. jura circa sacra vel infringere, vel  
 quod identidem à Nobis alienum, diminuere saltim in a-  
 nimum inducat, quemadmodum neque ista vel minime  
 etiam modo dici poterant infracta, aut diminuta per san-  
 ctiora illa Decreta & orbi publicata quæ ante hac, &  
 Cæs. Majest. V. Divi Majores ( quorum memoria in be-  
 nedictione sempiternã viget ) & ipsa quoque tam alibi,  
 tum in Constitutionibus Pacis Pragensis atq; VWestph.  
 pro liberali sacrorum usu cultuq; & horum exercitio in-  
 noxio ac perpetuo sanciverunt, suaq; sponte & liberri-  
 mã voluntate subditis suis benignissime indulerunt, quæ  
 cum ita se habeant, utiq; duriter videtur factum Cæs.  
 Majest. V. subditos ab Evangelii disciplina cognomi-  
 natos, in crimen vocari, quotiescunq; à Clementissimis  
 Regibus, ut & Dominis nostris supplicibus hactenus li-  
 bellis



bellis impetrarunt' ut ipsi deprecationes suas, ex verò amicitiae studio profectas, pro æorum tutela ac Religionis suae immunitate, exigente sic flagitantium necessitate interponerent. Quas tamen ipsas ( quod ex veritate testari possumus ) quum hoc jam tempore petere aut querendo ambire non sint ausi. Id circò clementissimi Reges ut & Domini nostri motu proprio & tot casuum funestissimorum documentis, quæ nec mediocrem conscientis vim inferre videbantur, excitati, uno velut mentis & vocum consensu decreverunt, vexatissimæ causæ patrociniū denuò suscipere ejusq; impositam sibi necessitatem Cæs. Majest. V. pio affectu & innocuo zelo representare, quemadmodum etiam eorum aliqui in Instrumento P. VVestph. facultatem interveniendi & intercedendi disertis sibi verbis reservarunt. Et si vel 'maximè hæc, de qua nunc sermo est, reservatio instrumento P. non fuisset inserta, non tamen apparet, quomodo Cæs. M. V. subditis id velut cujusdam delicti nomine imputari queat, si quando in tot, quæ se circumstant, angustiis ad Cæs. M. V. amicos præcipuos eosq; conjunctissimos sese vertant, & propitias horum advocaciones in auxilium allegent, utpote quas ex merito suo tale omninò pondus apud Cæsaream Majest. Vest. habituras sperant, quale ab æquitate & Justitia, quibus præstant, expectare fas est. Alioquin enim, si secus, quam confidunt, accidat, ut per illas nimirum intercessionibus iisdem ac deprecationibus, hoc etiam verè flebile emigrandi beneficium, supremum quæ ex naufragio tabulare, deinceps omnimodè sustollatur, sine dubio miseri mortales ad ultimam inde desperationem ab osoribus suis perducti, nescirent deniq; ubi tantquam in suo consistant. Et enim ex una dehinc parte infinitis calamitatibus & terriculamentis abyssum conspiciunt quandam ab offensionibus suis ipsis inevitabilem, dicimus inevitabilem, quia existimamus, vix unquam futurum esse, ut homo, quam ille libenter alias etiam quamq; constanter & severo voluntatis proposito id agat, tantum à se impetrare possit, ut quicquam credat, aut sibi persuaderi vi precarione patiatur, quod longè aliter eidem

pep.



pereognitum est, & cujus adversantem sententiam neq; capere vult, neq; comprehendere potis est. Unde praestat etiam hæc talia unius Dei digito relinquere insolidum, quippe qui solus hominum pectora novit inflectere. Ex altera autem parte sibi sibi & occlusam animadvertunt & obsessam, qua per patientiam & fugam, unica aliàs remedia licita eluctari ejusmodi mala, & quomodocunq; infestam propitiare fortunam licet. Fuga equidem remedium est, quod & divinæ & humanæ quin & S. Romani Imperii Leges omnimodè permittunt comprobantq; Matth. Cap. X. æternum pronunciat verbum: Si vos sequuntur in una civitate, fugite in aliam. Tam præclara multa à SS. Patribus imprimis Athanasio in Apologia sua de fuga, nec minus à juris naturæ Scriptoribus de jure emigrandi, & quod hinc profluxit, jure recipiendi exules fidei socios annotata sunt, ut Cæsareæ Majestatis Vestræ, Principis omni doctrinarum lumine misericè illustrati, patientiâ videremur abuti, si recensendis istis has implere chartas vellemus. Quantum autem ad Leges Sacri Romani Imperii attingit hæc necessarium arbitramur recentiores adducere, nempe artic. 4. §. 39. Instrum. Pacis VVestph. & quæ Reccessui Pragensi subjunctæ sunt, in quibus jus emigrandi & venditio honorum liberalissimè conceduntur; Sed insistere potius decet, sanctioni pacis religiosæ, quæ ipsa jus reformandi subditos hoc minus restrinxit, quò magis in eadem caputquè ac membra tam arctis adeò vinculis sese mutuò obstrinxere, ut jam integrum illis aut liberum hæud sit, amplius subditis suis, qui Religionem eorum amplecti detrectaverint, emigrandi licentiam cohibere, aut penitus eam sublatam ire. Rudolphus II. Imperator in replica sua ad Principes ac Status Silesiæ Anno 1604. facta profitetur, se non solum Imperii Electorem, sed & NB. Statum, & quod Silesia etiam inter membra Imperii, quæ pari cum cæteris jure gauderet, sit referenda. Jam autem ex pace religiosa inter  
statue



Status Imperii civilis circa Religionem & imprimis circa emigrationem intercedit obligatio, & sic non modo per naturalem, sed etiam per civilem obligationem stabile illud, quod diximus, emigrandi beneficium stabilitur & firmitur, & cavillatio est, istud beneficium saltem tunc concedi, cum propter Religionem patiantur subditi, in Silesia autem illos nihil pati adeoque nec illud iis indulgendum esse? Quis autem (cum exceptio hæc facta sit contraria) non percipit, dulce esse solum patriæ, ubi primum hausimus ærem, ubi primos edidimus ejulatus & quis unquam credere potest, illos, si non dira cogat necessitas, Patriam, laras, propinquos & amicos suos deserere velle. Cæterum hisce omnibus, quæ generatim hucusque Cæsareæ Majestati Vestræ de Silesia proposita sunt, ego, Ablegatus Prusicus, singularem mihi veniam peto, adjungendi submississimas preces pro quibusq; in colis, ut iis sc. ademtum tenuique ornatu ex ædificatum templum suum tum ex gratiâ Cæsareæ Majestatis Vestræ, tum ex voto & exultatione Regis etiam mei, clementissimè restituatur, quippe qui in reddendo districta Suisbursensi hoc libentius est gratificatus, quò magis Eidem complacuit, eadem ibi Sacram, quam indigitavi, ex sui Nominis appellatione Fridericianam dictam, atque eo titulo Evangelicis aliquot per Annos relictam fuisse.

Quod superest non possumus denique non statum quoque Evangelicorum in Regno Hungariæ hic attingere. Principio quidem leviculam exceptionem suo loco repositam volumus, quâ nempe asseritur Instrumentum Pacis VVestphalicæ nequaquam ad res Sacræ Regni Hungarici respicientes, exporrigi posse, illato hinc argumento, quod in Instrumento Pacis VVestphalicæ de illis Regnis & provinciis illæ Sacræ Cæsareæ Majestatis & Domûs Austriacæ solum modo sermo sit, in quibus Eidem ita dictum  
Jus



Jus reformandi non minus quam aliis Regibus ex Principibus compete-  
 bat : Quo jure autem in Regno Hungariae eo tempore Ferdinandus III. felicissimae memoriae  
 haud voluerit mutari, ita prohibente pace, anno 1647. cum  
 Ragozio erecta, quae pacem Osnabragensem uno tantum  
 anno antecessit, omnemque religionis libertatem  
 templis restituitis, omniq; reformatione seclusa per Diplomata  
 publicatam fecit : Quae ergo tum, ut textus Instr. Pacis VVestph. ait, de majori religionis libertate  
 ejusque exercitio in reliquis suae Majestatis & Domus Austriae  
 Regnis ac Provinciis agitata fuerunt, nullo modo ad Regnum  
 Hungariae applicari poterat, summa ibidem tunc libertate  
 existente & vigente. Sed quod hujusmodi conscientiarum  
 libertas hac maxime tempestate, ibi non amplius extet,  
 emineatque, documento sunt subnata inde gravamina  
 plurima, quorum ex praecipuis liberae civitatis  
 Gunziensis judicantur, de cujus squirellis haud ita  
 pridem Caesareae Majest. Vest. libellum supplicem  
 cum summa animi reverentia exhibuimus, & cujus  
 descriptum exemplum sub Lit. B. insignioris notae  
 causa denuo apposuimus sub Lit. C. multa alia  
 gravamina enarrata sunt, & ex articulis Soproniensibus  
 luculenter demonstratum est, quam aegre maligne & injuriose  
 nimium quantum Evangelicis in Hungaria fiat. Fons  
 autem horum malorum quae inde derivata, omnium  
 putantur illi sic dicti Domini terrestres, qui jus, quod  
 vocant, reformandi sibi maxime vendicant. Quod  
 autem verba Art. Soproniensis 25. salvo tamen jure  
 Dominorum terrestrium &c. huic opinioni eo usque favent  
 ut iis etiam praeter jura alia, quae Dominis terrestribus  
 censentur propria, jus reformandi sacra constitutum  
 credi & subintelligi debeat, nemo, ceu existimamus,  
 facile adduci potest, ut assentiat, nisi qui ex per-  
 verso ingenio patriae rebus male cupiat? Siquidem ipsa  
 Compages, cui tranquillitas Patriae salusque ejus praecipua  
 innititur, uno velut concussa subruitur, si ulla indecora  
 non minus quam & iniqua praetextus formula praeval-  
 eat, Dominorum scilicet, Terrestrium sic nominatorum,  
Potesta-



Potestatem tam arctis in Hungaria Cancellis nequaquam esse conclusam, ut Diplomata Regia aliaq; ordinationes hinc profectæ modum præscribere aut limites certos ponere queant : Quod verò huic sententiæ maximopere est contrarium, id manifestum sit, ex Clausulis diversis, quæ in Extractu articulorum, typis  
 „ oppresso, quem sub Lit. D. adjunximus, continentur.  
 „ Dicitur ibi haud obstatere debere vel contradictiones  
 „ Dominorum Cleri, vel aliorum quorumvis secularium  
 „ Catholicorum, & sive sint consularii, sive Oppidani,  
 „ sive villani, in quorumcunq; Dominorum Terrestrium  
 „ & Fisci bonis commorantes in libero suæ religionis  
 „ exercitio ac usu modoq; à sua M. Regia, vel ejusdem  
 „ Ministris aut Dominis suis terrestribus, quovismodo  
 „ aut quovis sub prætextu non turbentur aut impediantur :  
 „ Qui hætenus autem impediti, coacti & turbati  
 „ sint, liberum religionis ipsorum usum reassumere, exercere  
 „ & continuare permittantur ? Quæ omnia Imperator  
 „ Ferdinandus III. in pacificatione cum Principe Georgio  
 „ Ragoky inita non solum promittit, sed securus jubet  
 „ esse præfatum Transylvaniæ Principem, eiq; adherentes,  
 „ ac etiam uniuersos & singulos inclyti Regni Hungariæ  
 „ status in verbo suo Regio, & bona fide Christiana,  
 „ quod eos omnes & singulos articulos in omnibus  
 „ eorum punctis & Clausulis, tam ipsemet sanctè &  
 „ inuolablliter observaturus, quam etiam per alios omnes  
 „ subditos suos, quorum interest, vel intererit, cursumq;  
 „ status ac conditionis fuerint, observari facturus sit.

Quæ verò tam deliberato animo gravissimisq; verbis expressè statuuntur, non nisi expressè peribuscq; argumentis revocantur, & clausula, quæ salva vult jura aliiis quæsitæ, uti superius indicatum. Sanè etiam tam dissona ratione congruerent illa, quam alienum à R. M. foret, dicere aut statuere, plus Dominum terrestrem in Hungaria, quam ipsum ejusdem Regem posse. Illi Domini terrestres, hoc non contenti, sibi arrogante, quæ Deus sibi uni reservata vult, quippe qui solus est, qui



conſentis imperat & moderatur. Hinc Scriptura Sa-  
 cra longè alia nobis & præcepta ſuppeditat & exempla  
 oftendit, quibus vel ſecundum quæ homines ritè conver-  
 tere deceat, qualia equidem quum Dominis terreſtribus  
 ad ſcopum, quem propoſitum ſibi habent, minus exiſtimen-  
 tur conducentia, apparet utiq; ſomnia ea, quæ ex adverſo  
 ſiant, inſtruanturq; atrocibus & acerbisſimis perſecutio-  
 nibus Gallicis vel non omninò diſſimilia, vel talia certè  
 videri & judicari debere, quibus nihil aliud proſectum  
 hætenus ſit, niſi quod homines magis pervertant, & in  
 extremam deniq; perniciem animas eorundem detrudant.

Si enim ſuffecerit velites vel Dragones & Huſaros ad  
 obeunda & exequenda Apoſtolorum munia ablegaffe, ſanè  
 hæud amplius illud Chriſti locum habebit: mitto vos uti  
 agnos inter lupos, ita illi hæud ſunt piſcatores anima-  
 rum, ſed immanes Venatores. Deus qui homini animam  
 ratione præditam contulit, vult pariter ut & ille eadem  
 regatur, & ſi qua in re aſſenſum præbere ſuum debeat, ar-  
 gumentis perſuadeatur oportet ac convincatur, minimè o-  
 mnium verò violento impulſu, velut, Fiduculis adducatur,  
 ut cultu externo rituve id teſtetur, & ore profiteatur,  
 quod in animo nec credidit unquam, nec deinceps crede-  
 re conſtituit: Cleri omninò in conſultæ ſvaſiones, ſug-  
 geſtiones & obteſtationes Dominos Terreſtres ad talia im-  
 pellunt & quemadmodum olim Themiftocles Andriis mi-  
 nabatur, duobus ſe diis comitatum venire, ſvada nempe  
 & violentia, clerus militibus ſtipatus plus certè illis ad  
 finem ſuum, quam rationibus a prudentia, Juſticia & æ-  
 quanimitate mutuo ſumptis utitur, atq; ſic non operatur  
 in vinea Domini, ſed Regna & Provincias Sac. Cæ-  
 ſareæ Majeſtatis Veſtræ his inſultibus devaſtant ac depo-  
 pulantur, nec meminit eos, quos exturbat inde, tametiſi  
 Religionis formalis, ab aliis diſcrepantes, Chriſtianos  
 tamen eoq; nomine proximos ſuos, quin imò liberos idem  
 ſidem homines eſſe, & ſuæ religionis aſtella ſ in idem  
 diſcrimen unâ eademq; opera conjicere, ſi enim  
 res in nervum erumpit, & iſtæ temporum incidant con-  
 verſiones, cum Clerum pœnitere deinceps poſſit, ſe e  
 Evangelicos Reges & Principes vi & facti acerbitate ad,  
 giſſe.



gisse, & in viam quasi deduxisse, ubi his æquabile in Catholicos jus exercere & iis, qui sub Potestate eorundem degunt, par pari referre liceat, erit in propatulo, idum certe non spiritu charitatis mutæ, sed spiritu persecutionis odiq; fuisse ductum, hætenus & extimulatum. Nos subscripti Ablegati Extraordinarii haud raro advertimus, Cæsareæ Majest. Vestre Ipsiusq; Ministri nefarias ejusmodi persecutiones subinde vehementer fuisse improbatas, interjectis in hanc Sententiam graviorum etiam verborum asseverationibus, quibus fidem obligabant suam de iis quantocyus severâ in harum auctores animadversione abolendis, dummodo indubitatis prius experimentis clarum testatumq; esset factum, tales perinde atrocitates pati ac sùfferre, qui in hereditariis Cæs. Majest. V. Regnis ac provinciis Evangelicorum nomen & Doctrinam sustinent atq; sequuntur. Sicut autem in his argumentis convenimus, ita id unum jmi reliquum videtur esse, ut facinora illa, quæ tot querulas voces, totq; lamentationes miseras excitârunt, æquabili juris justitiæq; norma discutiantur, examinenturq; Enimvero quoties hoc animi proposito ad Eos, qui Cæs. Majest. Vest. à Sanctioribus intimisq; Status Consilii sunt, nosmet convertimus, toties illi ad Hungaricæ & Bohemicæ Cancellarias, quas vocant, nos remittunt; hæc autem obtendunt, sui rem arbitrii haud esse, ut in eo negotio quidquam nobiscum agant, aut consultationem suscipiant, nisi id expresse Cæs. Maj. V. mandato iudictum sit, quo utiq; modo nos in gyro quasi circumagi fateamur necesse est. Quare si gravaminibus istis seria tandem medela quocunq; modo fieri, aut in speciem saltem effingi debeat, minimè omnium illis declinationibus, quas nunc diximus, effugia, quæ sine careant, quæri, consequens est, idq; prorsus necessarium, ut Cæsareæ Vestre Majestas ex ordine secretioris sui consilii Commissionem clementissimè designet, ad quam quotiescunq; Hungariæ aut Silesiæ gravamina fuerint proposita, & super quibus colloquia nobiscum miscere æquum justumq; visum sit, semper eò unus altervè ex Cancellaria vel Hungarica, vel Bohemicâ unâ advocetur, ut

ista



Ista ratione prædicta Commissio Cæsareæ Majestati Vestræ quemadmodum ex veritate gesta est, decenti veneratione proponat, & latam super ea sententiam suam & æstimationem clementissimam, nobis consignatam literis nectam faciat atq; testatam, quæ, quod ab Eadem sperare fas est, afflictis deniq; in tutelæ & securitatis locum succedere, eosdemq; in incorrupta erga Cæs. Vest. Maj. obsequii fide confirmare, & ad omnia servitiorum genera, quæ quidem in ingenuos cadunt, subeunda, promtos ac expeditos magis magisq; reddere, sed & porro nostros quoque Reges Clementissimos, ut & Præpotentes Dominos ad paria & mutua officiorum studia, qualia pro horum remuneratione ullo modo ab iis præstari aut exoptari poterunt, obstringere atq; obligare queat. In quo bonæ spei omne finem libello facimus, & Dei Omnipotentis tutelæ Cæs. Maj. V. devotissimis votis ac precibus commendamus, obtestati maximè, ut Idem propitium Numen Cæsaream Majest. Vestram, sicut hætenus fœvit, porro undiq; victoriis, & tempora sua lauris viridissimis circumdet, vitæq; suæ annos ultra mensuram & numerum Majorum suorum Gloriosissimorum productos aliis felicitatum argumentis latissimis extollat, atq; ita in tantum Eandem ad Firmamentum Imperii, suorumq; subditorum sine discrimine omnium conservet, in quantum & Ipsa certissimum ac inæstimabile divinæ benedictionis pignus ab omni mortalium genere meritò suspicitur ac colitur & quâquam nihil in terris duraturum perpetuò est, tamen recordatis ex optatissimi Cæsaris, qui non delictum minus quam solatium humani generis extitit, infama rerum & temporum memoria nunquam in terminaturis laudibus vigebit. Quibus expositis Cæsareæ Majest. Vestræ gratiæ eo, quo par est, cultu religioso, studiisq; & obsequiis devotissimis obstricti, nullo non tempore futuri sumus.

**Sacræ Cæsareæ Majestatis Vestræ**  
 Humillimi

Regum Evangelicam Religionem profitentium, ut & Dominorum Statuum Generalium Fœderati Belgii Ablegati Extraordinarii, quotquot in ha aula commorantur.











W 17  
PICA







fer oder einer andern be-  
e Genesung von Herzen  
angewünscht  
aben.

LITERÆ AD SA-  
CRAM CÆSAREAM  
MAJESTATEM A CORPORE  
EVANGELICO EXARATÆ.  
SERENISSIME, POTENTIS-  
SIME, ATQVE INVICTISSIME  
CÆSAR,  
PERATOR SEM-  
PER AUGUSTE,

Uantopere depressus ille afflictis-  
musque rerum status, in quo tum in  
Imperio Romano-Germanico, tum  
in hereditariis S. Cæs. Maj. V. terris  
utiprehenduntur, qui Evangelicæ  
onfessionis addictos profitentur, jam e-  
idem sensus ipsos animosque Potentis-  
m Europæ Regum, nec non fœderati  
Ordinum, qui eadem sacra sequuntur,  
axerit pariter atque tot acerbissimorum  
eventu intime contristatit, vel inde  
stum est, quod, iidem pietate & misera-  
ucti, alongo jam tempore mitiora qua-  
silia sollicitè circumspexerint quibus  
x tam late serpentis mali, quod hinc  
rum videbatur, tolli, & in faustæ offen-  
sionis

A

